

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4374

Auteur(s) : Raoul de Beauchamps [chevalier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1300, septembre

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul de Beauchamps, chevalier, donne en perpétuelle aumône à l'abbaye et aux chanoines réguliers de Sainte-Trinité de La Lucerne, pour la chapelle Saint-Jean-Baptiste qu'il a construite à ladite abbaye, des rentes annuelles de Beauchamps.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Lutzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Lutzerne, n° CLIX, p. 147-149.

Dissertation critique

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Radulfus de Bellocampo, miles, dedi et concessi Deo et abbatie Sancte Trinitatis de Lucerna et canonicis regularibus ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee et Nicholae, uxoris mee, et Guillelmi, filii mei, et antecessorum meorum, in puram, liberam, perpetuam et omnino quietam elemosinam, ad opus capelle Sancti Johannis Baptiste quam feci juxta sacristariam dicte abbatie, in qua elegi meam sepulturam, sex bossellos frumenti annui redditus videlicet cum Johanne Le Sauvage, de parrochia de Bello Campo, duos bossellos frumenti ad mensuram de Haya Paganelli, sitos super totum hereditagium quod de me tenet ; et unum quarterium frumenti ad eandem mensuram quod emi a Johanne dicto Marie, de Bello Campo, homine meo, situm super totum mesnagium dicti Johannis, ubicunque sit, et maxime super unam peciam terre que continet unam virgatam terre et jungit, ex uno latere, ad terram Ricardi Marie et, ex alio, ad terram Eudonis de Doit ; et super duas pecias terre continentes unam acram et dimidiad virgatam terre, quarum una jungit, ex uno latere, terre Guillelmi Marie et, ex alio, terre Ricardi Marie ; altera pecia terre jungit, ex uno latere, terre Eudonis de Doit et, ex alio, terre Guillelmi de Doit ad feodum de la Favrerie, habendum, tenendum, levandum et possidendum predictum frumentum annuatim ad festum Sancti Michaelis in monte Gargano dictis religiosis et eorum successoribus, ad predictas mensuras libere, pacifice et quiete, sine reclamatione mei vel heredum meorum de cetero facienda. Et licebit dictis religiosis, pro habendo predictum frumentum annuatim ad predictum festum Sancti Michaelis pro duabus bossellis frumenti super predictum hereditagium, et pro uno quarterio frumenti super predictum mesnagium et super predictas pecias terre, si necesse fuerit, suam justiciam plenariam exercere. Et ego predictus Radulfus et heredes mei tenemur predictis religiosis predictum frumentum deffendere contra omnes et garantizare bona fide et, si necesse fuerit, alibi valore ad valorem competenter excambiare. Preterea, [pro] amore Dei et prosalute anime mee, antecessorum et successorum meorum, ad augmentationem bonorum predicte capelle,

concedo et confirmo tanquam dominus capitalis quicquid dicti religiosi habent in feodo meo, ex donatione seu ex elemosinatione predecessorum meorum seu aliorum donatorum, videlicet quinque quarteria frumenti ad mensuram de Haya Paganelli quod predicti religiosi percipiebant ab antiquo ex dono Fulconis Murdac, militis, avi mei, in portione mea molendinorum meorum et molte de Murdaqueria, et ex, donatione domine Agnetis de Capella, relicte Fulconis Murdac, avi mei, quatuor quarteria frumenti ad mensuram Cerenciarum sita in parrochia de Cerenciis, in feodo des Hayetes, ultra Malepalu, et jungitur, ex uno latere, chemin Chauce et, ex altero latere et uno capite, terre Perlliperorum et, ex altero capite, butat vivario de Cerenciis, et in predicto feodo, ex dono predicte domine, tres solidos Turonensium ad nondidas Montis Martini annuatim percipiendos per manus tenencium predictum feodum, habendos, tenendos dictos redditus annuatim et percipiendos ad dictum festum et ad predictam mensuram et omnia alia que habent in feodo meo, tam ex dono quam ex emptione, cum omnibus ad illa pertinentibus. Hec autem omnia et singula supradicta dono, concedo et confirmo dictis religiosis et eorum successoribus, ut cum omnimoda libertate et quietancia et absque omni servicio, consuetudine et exactione, calumpnia et contradictione in perpetuum teneant, habeant et possideant, sicut liberius et quietius elemosina potest possideri, absque reclamatione mei vel heredum meorum, preter orationum suffragia que dicti religiosi michi misericorditer concesserunt et me in fraternitatem suam caritative receperunt. Quod, ut ratum et inconcussum habeatur in perpetuum, in scripto redigere et sigilli mei testimonio dignum duxi roborare. Actum est hoc anno Domini M^o CCC^o, mense septembbris.